



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **S. Francisci Xaverii E Societate Iesv Indiarvm Apostoli Novarvm Epistolarvm Libri Septem**

**Francisco <de Javier>**

**Romæ, 1667**

Epistola Prima. Catechistis è Societate Iesv per Indias.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46129](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46129)

S. FRANCISCI  
XAVERII  
E SOCIETATIS IESV  
INDIARVM APOSTOLI  
NOVARVM EPISTOLARVM.  
LIBER II.

EPISTOLA PRIMA.

*Catechistis è Societate IESV per  
Indias.*



LEMENTORVM Doctrinæ  
Christianæ rudibus hisce po-  
pulis tradendorum viam ac  
methodum usu & successu  
mihi probatam proponam  
hîc vobis, Fratres Carissi-  
mi, sperans fore, si tenueritis, ut ex eâ  
non poenitendum Dei ac Domini Nostri  
gloriæ, salutisque Animarum fructum re-  
feratis.

Con-

NOVARVM EPIST. Lib. 2. 73

Congregato Populo, qui accedit ad Catechesim explicandam, facto ipse Crucis signo, capite aperto & sublatis manibus, præeat duobus Pueris ad id paratis in pronuntiandâ, voce clarâ & latè intelligibili, Oratione Dominicâ; priùs proferente verba singula Catechistâ, Pueris statim sequentibus.

Post hoc dicat universo cœtui: nunc Fratres mei profiteamur fidem nostram, & exerceamus tres actus præcipuos trium Virtutum præstantissimarum, quæ vocantur Theologicæ, sunt eæ Fides, Spes, & Caritas.

Tum à Fide sic incipiat, interrogans adstantes: Creditis omnes in unum Deum verum, Omnipotentem, æternum, immensum, infinitè sapientem? Respondeant universi: etiam Pater, per Dei gratiam credimus. Reponat Catechista. Nunc ergò dicite mecum pariter cuncti: Domine IESU Christe Fili Dei vivi, da nobis gratiam ut firmissimè credamus hunc articulum nostræ sanctæ Fidei: addamus ad hoc impetrandum *Pater Noster*, quam totam orationem singuli secretò recitabunt. Sub hoc tollat vocem iterum Magister, agite, dicens, hæc mecum  
pro-

## 74 S. FRANCISCI XAVERII

pronunciate . Sancta Maria Virgo Mater Dei,  
 impetra nobis à Deo gratiam credendi fir-  
 missimè hunc articulum nostræ sanctæ Fidei,  
 & ut hoc ab eâ exoremus, recitemus illi om-  
 nes voce summissâ salutationem Angelicam.  
 Post hanc à cunctis secretò dictam, incipiat  
 denuò Magister . Creditis Fratres istum  
 Deum verum esse unum unicum solum Deum  
 in essentiâ & Trinum in Personis, Deum Pa-  
 trem, Deum Filium, Deum Spiritum San-  
 ctum ? Respondeant omnes . utique Pater  
 per Dei gratiam sic credimus . consequen-  
 ter duæ orationes modo supra expresso, cum  
*Pater & Ave* secretò à singulis suo stantibus  
 loco recitandæ . Tunc fiat . hæc altera inter-  
 rogatio . Creditis Fratres mei istum eundem  
 Deum esse creatorem omnium rerum, Salva-  
 torem & glorificatorem nostrum ? dicant om-  
 nes ; omnino Pater, per Dei gratiam, sic cre-  
 dimus . Fient inde duæ petitiones ut priùs,  
 cum *Pater & Ave* . Hæc formâ percurren-  
 tur & reliqui articuli ; præsertim qui ad  
 Christi Domini Nostri humanitatem spe-  
 ctant : percontando in hunc modum : Cre-  
 ditis Fratres secundam Personam Sanctissimæ  
 Trinitatis, Filium Dei Unigenitum, fuisse  
 conceptum de Spiritu Sancto, incarnatum  
 in

## NOVARVM EPIST. Lib. 2. 75

in visceribus purissimæ Virginis Mariæ, & natum ex eadem Dominâ Nostrâ semper-Virgine? Respondebunt, utique, Pater, hoc per Dei gratiam credimus. Tunc fient duæ petitiones, additis, *Pater & Ave*, more superiùs informato. Pergét Catechista: Creditis Fratres, hunc eundem Filium Dei factum hominem fuisse Crucifixum, mortuum, & sepultum, descendisse ad inferos, & inde liberasse Animas Sanctorum Patrum, quæ ibi erant expectantes ejus sanctum adventum? dicant: Ita per Dei gratiam credimus, & petitiones statim consuetas adjungant. Tum Magister: Creditis, dicet, hunc ipsum Dominum Nostrum, resurrexisse die tertiâ, postea ascendisse in Cœlum, illic sedere ad dexteram Dei Patris Omnipotentis, unde venturus est, judicare vivos & mortuos; exquirendo & pro meritis remunerando aut puniendo bona & mala quæ illi fecerint? Respondebunt: planè ita per Dei gratiam credimus. Adjungentur petitiones solitæ cum *Pater & Ave*. Sub hæc Catechista: Creditis ne esse Infernum, hoc est, rogam æternum, quo sine fine cruciabantur qui mortui fuerint exortes gratiæ Dei; esse etiam Paradisum & Gloriam æternam quâ fruuntur boni

Boni qui vitam expleverint in Dei gratia, esse denique Purgatorium in quo Animæ ad certum tempus satisfaciunt Divinæ Iustitiæ luendo poenas suorum peccatorum, quorum etsi culpam in vitâ deleverint, poenam tamen ijs debitam non plenè exolverunt. Addet: Creditis septem Sacramenta, universam Doctrinam Sanctorum Evangeliorum, & quidquid præterea credit & profitetur Sancta Ecclesia Romana? dicent: cuncta ista per Dei gratiam credimus. mox facient petitiones duas cum totidem *Pater & Ave*. Dicit hîc Magister: hæc septies recitata *Pater & Ave* offeramus Spiritui Sancto, ut locupletare nostras animas dignetur suis septem donis, præsertim ijs quæ nos adjuvare possunt ad firmissimè credenda cuncta quæ Fides Sancta Catholica nos docet. Dicat post hoc Magister: fecimus hæcenus, Fratres mei, professionem nostræ Sanctæ Fidei. restat ut consequenter exerceamus Actus duarum, de quibus initio diximus, Virtutum aliarum Spei & Caritatis. Agite ergò, dicite mecum: Christe Iesu Deus & Domine mi, fretus ego tuâ Divinâ Misericordiâ, spero per tua merita fore, ut motus & adjutus tuâ gratiâ, cooperando cum operibus Christianis, &

obser-

observando tua mandata, perveniam aliquando ad gloriam & felicitatem ad quam me creasti. Amo te Deus mi, super omnia ex toto corde meo. Pœnitet me offendisse te, cum sis qualis es, omni laude, veneratione, obsequio dignissimus, propter summum amorem quem tibi debeo, & quia te longè plurius quàm quidvis quantumlibet magnum æstimo, firmissimè statuo nunquam me acturum quod offendere possit tuam Divinam Voluntatem, & me coniiciat in periculum excidendi à tuâ sanctâ gratiâ. Amen.

Hoc quasi præludium semper esto Scholarum Catechetarum; post quod aggrediatur Catechista declarationem peculiarem alicuius dogmatis nostræ Sanctæ Fidei, Sacramenti aut Virtutis, sive Orationis, vel cuiuspiam earum rerum quas nosse Christianum expedit; sermone perpetuo, sed plano, & ad rudium captum accommodato, explicans quod docet. atque in fine quod docuit confirmans narratione alicuius exempli, argumento tractato congruentis. Sub hæc præeat formulam Confessionis Generalis, reddentibus verba Parvulis; monitis cunctis ut interim contentur elicere ex intimo

mo

mo animi actum veræ contritionis, sive doloris de peccatis concepti ex sincero amore Dei offensi. Ad extremum jubeat universos recitare tria *Ave Maria*; Primum pro Præsentibus; reliqua duo pro alijs ad arbitrium.

## EPISTOLA II.

*Animabus Salutis Æternæ cupidis vitæ  
Christianæ ac Sanctæ transigen-  
dæ formulam tradens.*

**C**hristianus qui ultra inanem nuncupationem verbi, talem se præstare solidis officijs satagit, manè cum primùm evigilat, arrigat animum ad tria quædam agenda, Deo in primis & debita & grata, Primum est Confessio & adoratio Sanctissimæ Trinitatis, Dei unius in naturâ, in Personis Trini. Character est Christianismi, agnitio & veneratio Trium Divinarum Personarum in unâ Essentiâ, cuius quidem officio professionis Signi Crucis expressione cum mentione Patris & Filij & Spiritus Sancti, prout suos Filios docet Ecclesia, defungimur: Si tamen & manus motum & sonum